

Babylonem, aut sicut s. Paulus Ne-ronem (1) appellavit Leonem. Pro-phetæ simillimis phrasibus saepis-ime utuntur. Vide Calmet (2).

§ 3. Epistola III. s. Ioannis.

Fidem Caii, et charitatem in pe- regrinos extollit, eumque ad perse- verantiam, non obstante prohibi- tione Diotrephis, hortatur s. Ioan- nes.

QUAESTIO. Quis est ille senior, de quo s. Ioannes in hac epistola v. 1, scribit: Senior Caio carissimo, quem ego diligo in veritate? Respondeo: est ipse s. Ioannes evangelista, qui et hoc loco et alibi se seniore (3) appellat, utpote qui omnibus apo- stolis solus tunc superstes erat. Se- nior, cui scilicet cygnea suppeteret quaedam gratia senectutis, s. Am- brosius (4). Vel etiam, quia senior (græce πρεσβύτερος) idem denotat ac praelatus, episcopus, apostolus (5).

CAPUT IV.

Epistola s. Iudæ.

Commendat necessitatem bono- rum operum contra quosdam pseudo- apostolos et hæreticos, fidem sine operibus sufficere contententes, a quibus ut fideles sibi cavere possint, eorum characteres adnotat, nimi- rum contemptum cuiusvis domina- tionis, libidinem blasphemandi om- nia quæ vel improbant, vel non capiunt, et lasciviam plusquam bru- talem.

QUAESTIO I. In hac epistola, v. 5, dicitur: Iesus populum de terra Ae- gypti salvans. Sed Iesus 1457 annis circiter post eductum ex Aegypto

(1) II. Timoth. c. 4, v. 17.

(2) Præfat. in 2 epist. s. Ioannis.

(3) II. Epist. s. Ioannis v. 1; v. de et- iam Calmet. præfat. in 2. Ioan. epist.

(4) In psalm. 56, v. 25.

populum hebraeum natus demum est. Quomodo ergo tot annis antea po- tuit salvare hunc populum? Respon- det s. Hieronymus (6), per Iesum hic intelligi Iosue: hic enim a septua- ginta interpretibus vocatur Iesus. Verum obstat quod Iosue, licet po- pulum introduxerit in terram pro- missam, non tamen eundem eduxit de terra Aegypti. Hoc enim fecit Moyses. Hinc aliter respondeo et di- co: Iesus non qua homo, sed qua Deus populum suum, nempe he- braeos ex Aegypto eduxit. Nam, ut s. Paulus (7) ait: Iesus Christus heri et hodie, ipse et in saecula. Adde, quod pro Iesus multi graeci codices habent *χριστος*, idest Dominus, et non- nulli addunt *ὁ θεός*, id est Deus. Unde Syrus et Clemens Alex. le- gunt Dominus Deus; qui titulus Ie- su Christo qua Deo, non vero duci Iosue conveniunt. Ostendit nimirum his verbis s. Iudas Christi divinita- tem contra Simonem, Ebionem, aliosque hæreticos.

QUAESTIO II. In eadem epistola, v. 9, dicitur: Cum Michaël archan- gelus cum diabolo disputans aller- caretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiae (diabolo). Sed cur non est ausus? num princeps angelorum timeat dia- bolum? Dein cur s. Michaël de Moy- si corpore altercatus est? Respon- deo: blasphemiam, seu convicium vel maledictum non est ausus Mi- chaël proferre, non quod diabolum timeret, sed quod maledictum ver- bum tanquam rem indecoram, et se dedecentem proferre timeret. Mere- batur diabolus maledictum, sed per archangeli os blasphemiam exire non debuit, ait s. Hieronymus (8). Re-

(5) Cornelius a Lap. in 2 epist. s. Ioan. v. 1.

(6) Lib. 1 contra Iovinianum.

(7) Ad Hebr. c. 15, v. 8.

(8) Ad Titum 5.

spexit, ait Didymus, ad bonam dia- boli naturam Michaël, atque idcir- co maledictis abstinuit, suoque ex- emplo docuit, quid nos facere o- porteat, qui saepe odio vel ira in- flammati non tam vitia, quam ho- mines ipsos insectamur et maledi- cimur. Hinc archangelus non pro- tulit blasphemam sententiam, seu maledictum dicendo: Facesse, ma- ledicte Satan, abi, perfide, in ge- hennam, sed modeste et graviter illum compescuit, dicens: Imperet tibi Dominus, graece, *increpet te Dominus*, id est, tuam, o Satan, insolentiam ac nequitiam comprimat potenti suo imperio. Porro ve- risimilior et communior opinio est,

s. Michaëlem cum diabolo de Moysi corpore altercatum esse, quia Satan voluit Moysen sepeliri loco cognito et publico, ut hebraei in idolola- triam proni eum quasi Deum et nu- men colerent; Michaël vero ei ob- stitit, et curavit ut secreto sepelire- tur. Ita s. Chrysostomus (1), s. Am- brosius (2), Caietanus, Salmeron, Arias, et alii; unde Deuter. 34, v. 6, dicitur: *Et non cognovit homo sepulcrum eius usque in praesen- tem diem*. Plura hac de re eruditis- sime disserit praeter alios Cornelius a Lap. (3). De ipso autem Moysis obitu et sepultura, seu sepulturae loco insignem dissertationem con- cinnavit Calmet (4).

SECTIO II.

DE APOCALYPSI

TANQUAM LIBRO PROPHETICO NOVI TESTAMENTI

CAPUT I.

Argumentum et obscuritas
Apocalypseos.

Hic liber e tribus partibus com- ponitur, quarum prima tribus pri- mis, ultima tribus postremis, secun- da ceteris omnibus intermediis, nempe sexdecim capitibus contexi- tur. Pars prima et ultima facilis est intellectu: nam inter plerosque con- venit, quemadmodum tria prima A- pocalypsis capita ad septem Asiae episcopos respiciunt, quos s. Ioan- nes de suo officio commonet, sic ul- timis tribus Christi victoris trium- phum, extremumque iudicium, et sempiternam beatorum gloriam ce- lebrari. At reliqua sexdecim capita, quæ inter primam tertiamque par-

tem interiacent, interpretum om- nium solertiam et ingenium ve- hementer exercere. Quamvis enim generatim agnoverint facile, ibi ser- monem esse de calamitatibus et bellis ecclesiae Christi inferendis: de victoriis, quas Christus de illis esset relaturus: denique de ultione, quam ab hostibus propter occisos martyres Deus exacturus esset; ta- men in particulari ostendere, quan- do et per quos haec evenerint, aut eventura sint, difficillimum sane est. Hinc geminas in classes divisi sunt interpretes, quarum altera potissimum ad morum documenta, altera ad historicam rerum seriem xvi illa capita revocavit. Primæ classis duces fuere ss. patres et scriptores antiquissimi primorum ecclesiae Christi saeculorum, qui, cum res in Apocalypsi praedictae

(1) Hom. V. in Matth.

(2) 2 Offic. cap. 1.

(3) In epist. s. Iudæ v. 9; et in Deut. c. 54.

(4) In dissertat. ante comment. in ep. s. Iacobi.

nondum evenissent, nec ab ipsis praevideri humano ingenio possent, necessario remedium extra historiam quaesierunt. Potissimum ergo de temporibus Antichristi et extremo iudicio mysteria haec exposuere, sensuque allegorico vel tropologico singula exponentes, ad morum doctrinam pro suo quisque arbitrio accommodavere. Secuti sunt hos qui medio aevo Apocalypsin interpretati sunt: quod illis vitio dandum non est, propterea quod historiae et chronologiae studium eorum temporibus nequaquam ita ut nostris exultum fuerit. Quamvis ergo permagna pars Apocalypseos iam tum eventu comprobata et impleta erat, saeculorum tamen caligo (ut *Ignatius Weitenauer* (1) recte ait) impediēbat oculos, ut passim crederetur, ante mundi finem arcana haec evolvi non posse, et interim in sensu quodam accommodatio acquiescendum esse. At recentiores *Ludovic. Alcasar*, doctissimus Meldensium episcopus *Bossuetus*, celeberrimus abbas *Augustinus Calmet*, alique, cum per tot secula magnus rerum in Apocalypsi praedictarum numerus opere ipso completus iam esset, ex historiae fide nomina hominum locorumque, et annorum seriem pro viribus investigarunt, et ad historiam revocare singula in Apocalypsi scripta minutatim aggressi sunt: quo in labore, etsi fortassis non in omnibus veritatem mysterii attingerint, in rei tamen summa ingens posteritati emolumentum pararunt: quos proin hac de re evolvere (2) utilissimum aequae ac iucundissimum censeo.

QUAESTIO I. An liber hic obscu-

(1) Praefat. in l. Apocalyps.

(2) Vide *Alcasar* in Apoc. lib. 4, notatio 6, 7 et seq. *Calmet*. praefat. in Apoc. art. 1, 2 et 3. *Cornel. a Lap.* in

rissimus recte vocatur αποκαλυψις id est, revelatio, seu rei arcanae detectio? Respondeo affirmative. Nam magna mysteria reapse in hoc libro revelantur, quamvis obscurissimorum aenigmatum involucris oblecta, ita, ut liber hic in re sit *Apocalypsis* sive revelatio, in modo autem proponendi, et in phrasi sit *Epicalypsis* sive occultatio et velamen. Porro latinus titulus ab ecclesia appositus sic habet: *Apocalypsis s. Ioannis apostoli*. Ipse autem s. Ioannes caput primum Apocalypseos incepit his verbis: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis*, scilicet quam Deus Pater, qui clare loquitur Filio suo, dedit Christo in sua Incarnatione *palam facere servis suis*, h. e. ut ostenderet eam fidelibus eo modo, qui ipsius sapientiae placeret. Christus autem revelationem a Patre acceptam non totam, sed partem ecclesiae magis profuturam revelavit s. Ioanni, et per eum fidelibus, tecte tamen et arcane per aenigmata et symbola.

QUAESTIO II. *Cur liber Apocalypseos tam obscure est scriptus?* Respondeo: Equidem fortissimum contra Apocalypsin argumentum petitur ex eius obscuritate. Si enim hic liber tanti momenti est ad ecclesiae christianae institutionem et gloriam, ut communiter interpretes asserunt; cur non claro et perspicuo stylo fuit conscriptus ita ut, saltem a doctioribus christianis posset facile intelligi et exponi? Verum hoc dubium abunde solvitur, si ad causas obscuritatis s. Scripturae generales p. v, V. T., sect. I, n. 12, quaest. x, item p. vi, sect. I, n. 27, Quaest. 10 et praecipue, si ad

Apoc. quaestione prooemiali secunda, ubi varias opiniones variorum, praesertim *Alcasaris* acriter impugnat.

speciales septem sequentes tantae obscuritatis causas animum advertamus, quas interpretes (1) assignant, quamvis non singuli singulas.

Prima causa: Omnis prophetia, priusquam impleatur, inquit *Irenaeus* (2) aenigma est: postquam vero impleta fuerit, facilem habet intelligentiam et expositionem. Patet hoc ex prophetiis vet. test. de venturo Messia: quae, quoniam in Christo sunt iam impletae, nobis christianis faciles sunt intellectu: iudaeis autem et qui praecesserant adventum Christi, erant perquam obscurae. Sic etiam in exponenda Apocalypsi, quae prophetiis est undique referta, contigit fratribus primorum quatuor seculorum ecclesiae. Cum enim tunc multae ex illis prophetiis nondum essent impletae, obscurissimus eis visus est hic liber. At hodie, cum septemdecim abhinc prope seculis Apocalypsis ab Ioanne conscripta fuerit, eiusdem plurima vaticinia iam completa fuisse minime dubitandum. Praeterea ecclesiae et romani imperii historiae nunc prae caeteris aetatibus clarius patent; nosque maiori prae veteribus ope ad easdem dignoscendas instruimur. Quare facilius nobis, quam patribus et interpretibus antiquis (3) Apocalypsis explicatio contingit.

Secunda causa: Vult Deus prophetias manere occultas, nec plene cognitae usque ad id temporis, quo implentur. Quamobrem *Danieli* angelus dixit: *Tu Daniel claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum* (4).

Tertia causa: Sicut prophetae

(1) Vide *Riberam* in Apoc. disp. 7 *Salmeron*, tom 16, praefat. 5 *Alcasar* in Apoc. notat. 14. *Calmet* praefat. in Apoc. art. 1 et 5.

(2) L. 4, c. 44.

alii varias, etiam de eadem re, vario tempore habuerunt revelationes, ac per consequens non servant semper ordinem temporum, locorum et rerum gestarum, sed frequenter usurpant anticipationes, et recapitulationes, id est, priora postponunt, et anteponunt posteriora; ita facit et s. Ioannes subinde in Apocalypsi; verum parcius et rarius. Magis enim connexa, consequens et ordinata est Apocalypsis, quam sit prophetia *Isaiae*, *Ieremiae* et aliorum prophetarum: cuius ratio est, quod Apocalypsis fere tota versetur circa librum signatum, quem vidit s. Ioannes cap. V, cum sigillis septem.

Quarta causa: Visionum, quae narrantur in Apocalypsi, litteralis sensus non est, quem verba ipsa secundum propriam suam significationem sumpta praeseferunt: alioquin contineret res impossibiles et perabsurdas, uti sunt illa: animalia loqui, mulierem amictam sole, et pedibus suis calcare lunam, et habere alas, et volare, et alia id genus permulta. Oportet igitur, imaginarias illas visiones esse figuras quarundam rerum, quae per illas figurantur. Quae autem sint res illae, incertum est iudicium, dubia coniectatio, anceps et infirma ratio: quippe cum illae visiones atque imagines ad res multas et inter se admodum diversas apte, commodeque applicari posse videantur; ut cernere licet in visione septem angelorum tubis canentium, et aliorum septem phialas irae Dei gestantium, et mulieris amictae sole, et similiter in aliis. Interim tamen summam Apocalypseos perfectio-

(5) Vide supra praefationem in Apoc. Item *Calmet* pariter praefat. in Apoc. art. 1 et 5.

(4) Daniel c. 12, v. 4.

nem symbolicam demonstrat *Alcasar* (1) ostendens, Apocalypseos symbola esse summe perfecta, et in iis licet obscuris magnam lucem delitescere spiritualis doctrinae.

Quinta causa, ac praecipua: Quia non expediebat, Apocalypsin a quibuslibet intelligi; ne scilicet illi, contra quos multa per illas prophetias praedicuntur, vehementius irritarentur, et adversus Dei populum saevirent atrocius. Quocirca Ioannes in hoc libro cap. 17 multa sub imagine meretricis purpuratae, et sub nomine Babylonis adversus imperatores romanos acerrimos religionis christianae persecutores figurate et tecte vaticinatur. Praedicit triumphum, quem Christi ecclesia fuerat ex Roma gentili reportatura, et ad quod deinde maiestatis fastigium romana ecclesia etiam in terris erat extollenda. Minime autem expediebat, tunc cum Roma gentilis bellum gravissimum adversus christianos concitasset, eodem tempore prophetiam de ecclesiae romanae victoria adversus Romam ita conscribi, ut ab ipsis hostibus posset intelligi. Cum vero hoc argumentum caeterorum praecipuum adeo tecte et occulte scribi oporteret; cumque totius libri stylum unum eundemque esse conveniret; idcirco caeterae quoque libri huius partes ad praecipuae illius normam sapienter redactae sunt.

Sexta causa: Tanta haec libri obscuritas parit summam reverentiam ac venerationem erga fidei nostrae dogmata, quae videmus a Deo tam sublimium aut abstrusorum aenigmatum velo occultari. Nullam enim aliam ad rem aptius et congruentius aenigma adhibetur, quam ad ea, quae valde diligimus et aestimamus, ornanda et convestien-

(1) In prooemio commentar. in Apoc. notat. 15 et 16.

da. Praeterquam quod Divini Spiritus sapientia in hoc libro duo haec mirum in modum complexa est, et effecit; scilicet ut una ex parte huius libri mysteria velata essent; ex alia vero in ipsa aenigmatum obscuritate eadem veluti per tenue filum interiectum mira luce traluerent.

Denique *septima causa*: Tanta Apocalypseos obscuritas, et tot retro seculis non satis percepta explicatio in maximam romanae ecclesiae maiestatem cedunt; cuius magnitudo et excellentia tam abditis et abstrusis mysteriis fuerat multo ante praedicta. Cedit etiam in ingentem divinae longanimitatis et providentiae admirationem, quae statuit ita obscure et aenigmaticè hunc librum conscribi, et in media hac caligine et obscuritate eundem summa fidelium veneratione conservari; et tot saeculorum seriem expectavit, donec reconditi huius arcani cognitio congruentissimo tempore patefieri. Hinc patet, quid respondendum *theistis* aliisque incredulis, obscuritatem Apocalypseos, aliarumve revelationum divinarum hunc in modum impugnantibus: Deus, qui lux est ipsissima, tenebrarum esse amator non potest, nec adeo auctor tam obscurae revelationis. Verum facile concedo, Deum ipsam esse lucem *quoad se*, nec usquam tenebras in *sua* scientia admittere: attamen nego, clarissime idcirco veritates quasque nobis illum revelare debere. Contrarium enim constat ex causis de obscuritate Apocalypseos paulo ante assignatis. Profecto sapientissimos fines Deus habuit, hunc librum obscure dictandi. Praeterea Deum clarissime veritates quasque nobis revelare, nec universe fieri potest, nec vero etiam conditionem nostram praesentem decet. Fieri, inquam,

id universe non potest; quia ipsa curta intellectus nostri sphaera nec summae claritatis, nec omnimodae scientiae omnium arcanorum Dei est capax. Sed idem ne expedit quidem, aut decet hunc vitae nostrae praesentem statum, in quo mereri summum illud coelestis gloriae lumen modesta intellectus nostri erga divinam auctoritatem submissione primum debemus. *Fides amittit meritum, ubi ratio praebet experimentum*, recte ait s. Gregorius M. (1). Idem sentit s. Augustinus (2) dicens: *Credimus, ut agnoscamus; non cognoscimus, ut credamus.... quid enim est fides, nisi credere, quod non vides?* Et a libi (3) haec est laus fidei, si, quod creditur, non videtur: nam quid magnum est, si creditur, quod videtur (4)? Ad haec si vis obiectioni inesset, ne luminis quidem illius, quo legem naturae cognoscimus, Deus esse auctor posset. Quam enim multa in hac lege cimeriis tenebris involuta! quot controversiae, quamque difficiles et obscurae circa ius naturae quotidie oriuntur inter viros etiam doctissimos? utrum haec aut illa actio lege naturali licita sit, vel prohibita, utrum hic vel ille contractus usurarius, nec ne, et quae sunt mille eiusmodi.

Sed *instant increduli*, et quaerunt: Quorsum obscura revelatio in Scriptura, et praesertim in Apocalypsi contenta serviet, quae reipsa nihil revelet? Quae inde ad praxin, quam unam religio fovet, quae ad bonos mores utilitas? Quid opus est, mysteriorum nimis quam obscurorum revelatione et obligatione credendi tam difficili imposita no-

vum innocentiae humanae laqueum parare? Verum, quamvis ad hos cavillos iam ex supra dictis responsio pateat; tamen, ut increculi penitus profligentur, ulterius observo, falsum esse, quod obscura revelatio nihil omnino revelet. Contrarium ostendimus supra (5) de Apocalypsi. Equidem Deus haud revelare solet, *Cur aut quomodo* res ita sit; satis tamen est, quod res ita sit, nos ab eo doceri; non quidem ut *scientiam* inde rei capiamus distinctam; attamen, ut rem ita se habere, certissime et sine erroris periculo credimus. Numquid enim multo plura scimus, quod sint; quin, eadem cur ita sint, rite sciamus. Aut num tu facta omnia, quae in historiis narrantur, tibi demonstrari voles, cur et quomodo fieri potuerint, prius quam fidem adhibeas? Quam illum hominem a bona destitutum esse logica oportet, qui talia obicere non dubitet!

Porro falsum etiam est obscuras de divinis mysteriis revelationes inutiles esse ad praxin, et bonos mores, seu exercitium virtutum. An enim tu altiozem de Deo, de eius operibus, promissis et donis supernaturalibus notitiam ad praxin plane esse inutilem existimas? Nonne inde imbecillis humani intellectus, nihilque nostri cognitio, simul autem ingens de Deo existimatio, et excellentioris spei ac amoris in eum virtus nascitur? Nonne ipsa fides, magna demissione animi et proprii iudicii subiectione praestita, genus est cultus divini prorsus excellens, nec ulli alteri enti tam universe, tam integre, quam Deo soli debitum et conveniens? Nonne

(1) Homil. 26 in Evang.

(2) Tract. 40 in Ioan.

(3) Tract. 79 in Ioan.

(4) Legi haec de re meretur *Tournely* curs. theol. tom. 4, disput. praevia quae-

st. 4, art. 4 de usu rationis et humanae philosophiae in rebus theologicis. Item *Benedicti Staltler* demonstr. evang. § 84.

(5) Vide supra quae. 1 de Apocalypsi.

eius exercitio nobilissima hominis pars, intellectus videlicet, cum ingenti merito divini Numinis venerandae veracitati consecratur? An non liberum Deo erit altioris istud genus obsequii a rationalibus suis exigere creaturis, et petere, sicut subiectionem voluntatis suis legibus praestandam, ita et sacrificium intellectus humani in obsequium fidei captivandi? Caeterum, ut hoc sacrificium perfectius peragatur, expedit, tam nobis revelari mysteria nostro captu altiora, quam ea non omnino pandi cum omni sua luce. Non igitur revelationum divinarum obscuritas, sed sola mentis nostrae arrogantia, in laqueum nobis cedit, siquidem Deo loquenti credere noluerimus.

COROLLARIUM. Praeter rationes obscuritatis Apocalypsi proprias, dantur plures causae communes tam Apocalypsi, quam aliis libris divinis, ob quas Deus eos in multis obscuros esse voluit. Sunt autem sequentes, quarum plerasque quidem iam supra attigimus, sed easdem hic in pugnam contractas, ob oculos ponemus, additis quibusdam novis. Itaque *prima causa*, ob quam Deus s. Scripturam obscuram esse voluit, videtur esse haec; quia non decebat verbum Dei scriptum, in quo cognitio divinae traditur maiestatis, usque adeo planum esse et manifestum, ut passim intelligeretur ab omnibus. Nam *facile investigata plerumque vilescunt*, ait s. Augustinus (1) de obscuritate s. Scripturae loquens. *Altera causa* est ut eo suavior esset cognitio, quo inventu difficilior, ut iterum indicat hipponensis praesul (2), eaque

(1) L. 2 de doctrina christiana, c. 6.

(2) L. de mor. eccles. c. 4.

(3) Cit. l. 2 de doctrina christiana, cap. 6.

(4) Epist. 57 ad Dardanum.

ratione sacris literis magis detine-remur, magisque illis alliceremur. *Tertia causa* ab eodem assignatur (3) ut *edometur labore superbia* nostra, sicque humiliati ad Deum accurramus, qui docet omnem scientiam. *Quarta* est (4), ut fidem exerceamus, et *intelligentiae perspicuitatem impetremus per fidei puritatem*; nam ut idem s. Doctor alibi (5) ait: *intellectui fides aditum aperit, infidelitas claudit*. *Quinta causa* est, quam Trithemius abbas Maximiliano I. Caesari interroganti, cur Deus s. Scripturam non ediderit facilem intellectu, et omnia creditu necessaria explicite continentem, olim (6) assignavit his verbis: *Duo sunt, quae ad confirmationem fidei christianae Altissimus providit credentibus, ecclesiam videlicet, et s. Scripturam, ut, quod in altera non satis manifeste exprimitur, latius ab altera declaretur... Quoniam si omnia in Scripturis sanctis essent manifeste expressa, quae pietatem fidei respiciunt, non videretur tantae auctoritatis sancta mater ecclesia, et evacuetur magna ex parte meritum obedientiae salutaris.*

Sexta causa, cur nobis in multis videatur obscura s. Scriptura, est nostra ignorantia, quia non rite intelligimus varios et peregrinos idiotismos linguarum orientalium, quibus libri sacri originaliter conscripti sunt, et postea in varias linguas versi; item quia ignoramus multa facta et res, tum, cum libri sacri primitus conscripti sunt, omnibus notas; nunc vero post tot seculorum decursus et infinitas mutationes plane ignotas; sicut etiam ad diver-

(3) Epist. 3 ad Volusianum.

(4) Vide opusculum, cui titulus: Curiositas regia, seu 8 quaestiones a Maximiliano Caesare Joanni Trithemio abbati propositae et solutae, q. 4, edit. Duac.

sitatem morum illius temporis a nostris, saepe non satis attendimus. Et vero, an non ob has et similes difficultates in quovis scripto paulo antiquiore multa obscura nobis apparent? Norunt id satis, qui editiones Homeri, Horatii, Ciceronis et evulgare, vel commentaria in hos auctores scribere attentarunt. *Septima* denique *causa* saepe est improbitas et vitium legentium s. Scripturam; prout laudatus abbas Trithemius pridem (1) monuit his verbis. « Quisquis caligine vitiorum est sordidus, quisquis mente tumida incedit superbus; quisquis de veritate Scripturarum Dei, vel in parte, vel in toto dubitat, nunquam ad earum intelligentiam se posse pertingere confidat... Homo mente impurus, aut circa fidem infirmus, qui altitudinem Scripturarum divinarum rimari sine tradente magistro nititur, variis et periculosis erroribus vulneratur... Nam sicut omnia munda mundis (2), ita profana videntur cuncta profanis. Posuit ergo Deus latibulum suum (3) altitudinem Scripturarum, quae sic inaccessibilis et clausa est reprobis, ut tamen semper manifesta pateat sanctis. »

QUAESTIO III. *Quodnam est Apocalypseos argumentum? Et cur facilior nobis, quam patribus et interpretibus antiquis eiusdem explicatio contingit? Item cur veteres (4), tam propinquam extremi iudicii diem suspicabantur?* Respondeo: De Apocalypseos argumento iam supra in praefatione nostra ad hunc librum egimus: id solum repeto, recentiores interpretes pro re satis

(1) Loc. cit.

(2) Ad Titum c. 4, v. 15.

(3) Psalm. 17, v. 12.

(4) Vide Cornel. a Lap. in 4 ep. s. Ioan. c. 2, v. 18. Et in Apoc. c. 20, v. 5.

(5) Vide Cornel. a Lap. quaest. prooe-

certa et ferme indubitata habere, in Apocalypsi non tantum generaliter, sed particulatim describi sub variis aenigmatibus et symbolis futuros ecclesiae per varias aetates eventus, non quidem omnes, sed illustriores quosdam. Quinam autem hi eventus sint, ipsi interpretes (5) inter se varie discrepant. Omissis aliis, solam Calmeti (6) expositionem breviter recenseo. Antiquus dierum, ait hic auctor, alpha et omega, qui est, et qui erat, et qui venturus est, Deum patrem; agnus vero Deum filium significant; per terram romanum imperium; per bestiam septem capitum, septem imperatores persecutores ecclesiae; per draconem mulieri iam pariturae insidiantem, iidem ecclesiae persecutores designantur; bestia cornibus instar agni instructa, Iulianum apostatam refert; meretrix magna, mystica Babylon, Romam innuit. Babylonis eversio, bestiae et meretricis interitus, persecutorum et Romae idololatrae excidium exhibent. Plagae, quibus Deus terram conficit, et irae suae phialae, quas in orbem iubet effundi, eas praeferunt calamitates, quibus romanum imperium, praesertim post Diocletiani persecutionem, obrutum fuit. Ita ille. Rationem autem, cur Apocalypsis nobis intellectu facilior quam antiquis patribus existat, assignat hanc; quia vaticiniorum obscuritas tunc potissimum datur, cum eorum eventus vel procul absunt, vel actu perficiuntur: perspicua vero fiunt, quando re peracta eventus cum iis, quae praenuntiata fuerant, conferuntur. Cum igitur plerique

miali secunda, in Apoc. Calmet. praefat. in Apoc. art. 1, 2, et 5. Alcasar in Apoc. l. 4, notat. 6, 7, Goldhagen part. 5 Introduct. in s. Script. n. 546.

(6) Loc. cit. art. 1.

eventus in Apocalypsi praedicti, tempore illorum patrum et scriptorum, qui quatuor seu quinque primis ecclesiae seculis floruerunt, nondum fuerint impleti vel actu tunc perficerentur; haud mirandum, quod patribus et scriptoribus illis Apocalypsis obscurissima visa sit. vicissim cum circiter mille septingentis abhinc annis s. Ioannes Apocalypsin conscripserit, eiusdem plurima vaticinia iam completa fuisse minime dubitandum est; praesertim quia Deus ipse Apocalypsin, quod cito implenda esset, sigillo claudi prohibuit Apoc. c. 22, v. 10: *ne signaveris verba prophetiae huius: tempus enim prope est.* Praeterea ecclesiae et romani imperii historiae nunc prae caeteris aetatibus clarius patent; nosque maiori prae veteribus ope ad easdem dignoscendas instruimur. Quare facilior nobis, quam patribus et interpretibus illis antiquis Apocalypsis explicatio contingit. Porro cum veteres patres et interpretes plerique ex imperfecta Apocalypseos intelligentia vel omnia, vel ferme omnia huius libri vaticinia de extremo iudicio (1) explicarent; simulque eadem non diu post adimplenda teste ipso s. Ioanne (2) scirent, ac mundum senescere adverterent, aliquique eorum falsa chronologia decepti sex millia annorum iam pene elapsa (3) crederent, mirum non est, quod finem mundi iam iam instare, et per praesentes suorum temporum calamitates (in quibus obtutum omnem fugebant, mentis acie longius non perspicentes) Apocalypsis vaticinia, aliaque s. Scripturae ef-

(1) Vide *Calmet.* loc. cit. art. 2.

(2) Apoc. c. 22, v. 10 et 12.

(3) Vide *Cornelium a Lap.* in Apoc. c. 20, v. 5.

(4) I. Ioan. c. 2, v. 18.

(5) I. Petr. c. 1, v. 20.

fata finem mundi propinquum annuntiantia impleri, et extremum iudicium appropinquare existimaverint.

QUAESTIO IV. *An nostris saltem temporibus finis mundi imminet, isque ultra 6000 annorum non est duraturus?* Antequam respondeam, observo, satis certum esse, quod tempus durationis mundi iam ultra dimidium expletum sit, adeoque mundus non tam diu duraturus sit, quam duravit. Hoc enim aperte asserere videntur apostoli, dum tempus post adventum Christi appellant *horam novissimam* (4), *tempora novissima* (5), *fines saeculorum* (6). Nam per hos loquendi modos non tantum indicatur, quod lex gratiae, quae legi naturae, et legi mosaicae successit, sit ultimus status religionis, cui alius non succedet, sed etiam, quod tempus legis gratiae sit magis vicinum excidio mundi; praesertim quia s. Petrus (7) expresse dicit: *Omnium autem finis appropinquavit. Estote itaque prudentes, et vigilate in orationibus.* Et s. Paulus (8) asserit, nos ad saeculorum finem iam pervenisse: *ad quos fines saeculorum pervenerunt.*

At exacte determinare, quam propinquus sit hodie mundi finis quantumque temporis adhuc restet, non est positum in nostra potestate: nihil enim certi hac in re definire possumus, quae pendet a secreto Dei decreto. Interim tamen *Cornelius a Lapide* (9) multis ostendit, sententiam illam, quae defendit, mundum post sex millia annorum (non definiendo certum diem,

(6) I. Cor. c. 10, v. 11.

(7) I. Petr. c. 4, v. 7.

(8) Loc. cit. ad Corinth.

(9) In Apoc. c. 6, v. 8. Et praecipue in Apoc. c. 20, v. 5.

nec annum) fore consummandum, coniecturam esse, ut communem, ita vere probabilem, contrarium tamen defendente *Menochio* cent. IV, quaest. 25. Dicit autem *Cornelius, non definiendo certum diem, nec annum.* Et hoc tantum videntur velles. *Augustinus* (1), *Beda* (2), *Pererius* (3), *Suarez* (4), *Ioseph Acosta* (5), et aliqui alii, qui hunc computum sex millium annorum mundi respuunt, nimirum si definite et praecise intelligatur. Inde enim sequeretur, ut recte ipsi argumentantur, nos posse scire et indicare praecise annum et diem consummationis mundi et extremi iudicii. Hoc autem repugnat Christo (6) dicenti: *de die autem illa vel hora nemo scit, neque angeli in coelo.* Id ipsum autem non sequitur, si hunc numerum sex millium annorum non arithmetice et praecise, sed geometrica et moraliter accipiamus, nimirum hoc sensu, quod mundus duraturus sit tantum sex millenarios annorum, non plures, ac proinde non perventurus sit ad annum septies millesimum, sed ante eum desinat: an autem, et quot anni, vel centenarii annorum, post annum sexies millesimum futuri sint usque ad finem mundi, hoc ignoramus: sufficit nosse, nos versari in ultimo millenario annorum mundi: an autem quid ei defuturum sit, an superfuturum, nos latet.

Ex dictis liquet (pergit *Cornelius a Lapide* loc. citat.), nos valde accedere ad finem mundi, eumque non longe abesse. Et profecto rei huius multa sunt signa et argumenta a laudato auctore aliisve scriptoribus fide dignis allata. PRIMUM, quod videamus evangelium iam pene toto

(1) Enarrat. in psal. 89.

(2) L. de ratione temp. c. 65.

(3) In Genes. l. 1. pag. 429.

(4) 5. part. disp. 55, sect. 4.

orbe praedicatum penetrasse ad extremos sinas et americanos. Christus autem apud Matthaeum cap. 24, v. 14 praedixit: *Et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio.* SECUNDUM, quia sex diebus conditus est mundus: ergo totidem, puta sex millibus annorum consistet. Mille enim anni sunt apud Deum, sicut dies unus, attestante s. Scriptura (7). TERTIUM, quia primus versus libri Geneseos, qui continet creationem et fabricam totius mundi, sexies habet literam *aleph* quae hebraeis denotat millenarium numerum, velut indicaturus, quod Deus coelum et terram creavit ad sex *aleph*, id est, ut daret sex millia annorum. QUARTUM, quia tres in mundo successive fuerunt leges sive status, nimirum lex naturae, lex Moysis, et lex Christi. Atqui tempus legis naturae, quod fuit ab Adam usque ad Abraham, duravit circiter per bis mille annos. Rursum tempus legis mosaicae pariter duravit ferme per bis mille annos: tot enim sunt ab Abraham usque ad nativitatem Christi: ergo pariter tertia lex et status mundi, puta lex evangelica, durabit totidem, id est, bis mille circiter annis. Quod enim tempus legis Christi non sit multo maius tempore legis naturae et legis mosaicae, inde colligi videtur, quod apostoli illud appellant *novissimam horam, tempora novissima, fines saeculorum.* QUINTUM, quia s. Ioannes Apoc. cap. 20, consignans aetatem et finem mundi, sexies nominat mille annos, quasi innuens sex millibus annorum duraturum mundum. Nam ait v. 2: *Ligavit eum (satanam)*

(5) L. 1 de temp. novissima, c. 2.

(6) Marci c. 13, v. 32.

(7) Vide supra ad initium huius quaestionis.

per annos mille; v. 3: *Donec consummentur mille anni*, v. 4: *Regnaverunt cum Christo mille annis*; v. 5: *Donec consummentur mille anni*; v. 6: *Regnabunt cum illo mille annis*; v. 7: *Cum consummati fuerint mille anni*. Ut quid enim praecise repetit sexies *to mille anni* sine necessitate, illudque sexies iterat et inculcat, nisi ut innuat, post sexies mille annos fore consummationem mundi? **SEXTUM**, quia mundus iam videtur senescere, et mutato elementorum cursu tendere ad occasum et interitum. Nunc enim longe verius est id, quod de suo aevo dixit *s. Gregorius* papa (1): « Signa vero in sole et luna, et stellis, adhuc aperte minime vidimus: sed quia et haec non longe sint, ex ipsa iam aëris immutatione colligimus. Et *s. Cyprianus ad Demetrianum*: Scire debesse nisse iam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, etc. Et *s. Chrysostomus* (2): Non longe a fine absumus, sed iam mundus properat: hoc bella, hoc afflictiones hoc terrae motus, hoc extincta caritas significat. » **SEPTIMUM**, quia nostris temporibus late per orbem dominatur incredulitas et impietas, blasphemus *s. Scripturae*, et omnis religionis revelatae contemptus, et ex illis ipsis, qui Dei beneficio ex christianis parentibus nati, et in christianismo educati sunt, innumeri a Christo et lege christiana, quam multi eorum verbis vel scriptis acerrime impugnant, ad theismum, et quandam gentilismi speciem deficiunt, de quibus *s. Petrus* (3) videtur praedixisse: « Hoc primum scientes, quod venient in

(1) Homil. 4 in Evangelia.

(2) Homil. 55 in Ioan.

(3) II. Petri, c. 5, v. 5.

(4) In epist. s. Iudae, v. 17.

(5) I. ad Timoth. c. 4, v. 1.

(6) II. Thessal. c. 2, v. 5.

novissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: ubi est promissio aut adventus eius? Ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturae. » Apostolorum principi consentit *s. Iudas* (4) monens fideles his verbis: « Vos autem carissimi, memores estote verborum, quae praedicta sunt ab apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. » Similiter *Paulus* (5) vaticinatur: « Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide attendentes spiritibus erroris et doctrinis daemoniorum et cauteriatam habentium suam conscientiam. » Et alibi (6) pro criterio novissimi temporis ponit *discessionem*, sive ut in graeco legitur, *ἀποστασία*, nempe a fide. Quamvis enim multipatrum intelligant per apostasiam, populorum a romano imperio defectionem, et plures, maxime graeci, ipsum Antichristum metonymice sumendo *apostasiam* pro *apostata*; iuxta plerosque tamen interpretes (7) hic per apostasiam intelligitur maxima quaedam et plane singularis apostasia, quam vel efficiunt omnes omnino haeretici et ficti catholici ad Antichristum deficientes vel universalior quaedam populorum a fide christiana discessio. Cumque eiusmodi apostasia hodie imminere videatur, quod dolemus, et sancto cum timore dolent plures ecclesiarum praesides (8) in suis epistolis

(7) Vide *Menochium*, aliosve in hunc Pauli locum.(8) Vide *Lingonensis* (de *Langres*) episcopi epistolam pastoral. anno 1766 emanatam, cuius partes recenset *Herman. Goldhagen* in religion's journal, seu *Diaro religionis*, part. 4.

pastoralibus; ex hac nota cognosci poterit, iam propiora esse tempora Antichristi. Denique ipse Christus incredulitatem hominum videtur indicare esse signum secundi sui adventus brevi futuri. *Veruntamen*, inquit apud *s. Lucam* (1), *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quae verba interpretes cum *s. Ambrosio* et *Euthymio* exponere solent, quod ad finem mundi pauci fideles, et plurimi a fide deficientes et increduli sint rependi, quorum numerus hodie est maximus. **OCTAVUM**, quia romanum imperium (2), quamvis adhuc vigeat in imperio germanico, maxime tamen est imminutum atque infirmatum. Hoc autem durabit usque ad Antichristum, ubi erit totalis populorum ab illo defectio, ut colligitur ex *Daniele* propheta (3). **NONUM**, quia est communis et antiquissima traditio, mundum non nisi sex millibus annorum duraturum. Nam in hanc sententiam conspirant christiani, hebraei, gentiles, graeci et latini, quorum longum catalogum adducit, et accurate citat *Cornelius a Lap.* (4) Sic ex ss. patribus *Hieronymus* (5) ex illo versiculo, *quoniam mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesternae, quae praeteriit*, infert, omnem praesentis seculi durationem fore sex millium annorum. « Ego, inquit, arbitror ex hoc loco mille annos pro una die solitos appellari, ut scilicet quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, et postea venire septenarium et octona-

(1) Luc. c. 18, v. 8.

(2) Vide *Calmet* commentar. in II. Thessal. c. 2, v. 5.(3) Vide *Cornelium a Lap.* in Daniel. c. 2, v. 41, 45, 44.

(4) Comment. in Apoc. c. 20, v. 5.

(5) In epistolari explicatione psal. 89 ad Cyprian.

rium numerum, in quo verus exerceatur sabbatismus. » Idem docent *s. Iustinus* (6), *s. Irenaeus* (7), *Lactantius* (8), *Hilarius*, (9) quorum verba citat *Sixtus Senensis* (10).

Porro, licet aliqui ex his fuerint chiliastae seu millenarii, haec tamen eorum opinio de sex millibus annorum mundi ad errorem chiliastarum impertinens est. Idem de sex millibus annorum docent *s. Gaudentius Brixianus*, *s. Germanus Constant. Patriarcha*, *Bellarminus*, *Genebrardus*, *Picus Mirand.*, *Petrus Bongus*, pluresque alii a *Cornelio a Lap.* (11) exacte, ut dixi, citati. Ex ethnicis idem tradiderant *Hydaspes*, *Mercurius Trismegistus*, et *Sybillae* teste *Lactantio* et *Sixto Senensi*. Ex hebraeis ita censent *Moses Gerundensis*, *R. Isaac*, et *R. Elias*, cuius ultimi hoc quasi oraculum celebratur a iudaeis (12): *Sex millibus annorum erit mundus, et iterum destruetur: duo millia fuerunt inanitatis et vanitatis* (intelligit tempus legis naturae): *duo millia legis Mosaicae; et duo millia erunt dierum Messiae*.

En novem signa mundi ad occasum properantis. Plura alia in hanc rem congerit *Cornelius a Lap.* loc. cit. concludens his verbis: « Haec cogitemus, et ad diem Domini quasi instantem nos comparemus: cor terrae non affigamus... Sed domos in coelis perpetuas per eleemosynarum aliarumque virtutum opera, fabricemus. Totam mentem ad futurum aevum transferamus: studeamus, pingamus, vivamus aeternitati. » Ita ille. Plura de tota hac

(6) Q. 71 ad Gentes.

(7) L. 5, c. ult.

(8) L. 7, c. 14.

(9) Canon. 17 in Matthaicum.

(10) L. 5 bibliothec. annot. 190.

(11) Loc. cit.

(12) In Talmud. tom. 4, tract. 4, qui inscribitur *Sanhedrin* sive *iudicium*.